DE QUADRAGESIMAE IEIUNIO, DIE CINERUM, AD SANCTISSIMUM DOMINUM NOSTRUM CLEMENTEM 8. PONT…

Giacomo Vacchedano

Digitized by Google

Imprimatur.

Si videbitur Reuerendiſs. Magiſtri Sacri Palatij. P. Epiſc. Rauellen. Viceſg.


Imprimatur.


Fr. Io. Baptiſta Lancius Regienſis Sacri Palatij Magiſter.



SANCTISSIMO, BEATISSIMO PATRI, ET DOMINO NOSTRO CLEMENTI VIII. PONT. MAX.

Iacobus Vacchedanus Presbyter.






VÆ dicta sunt à me de quadragesimæ ieiunio in monte Auentino apud Sacrum Apostolicum Senatum, tam benignè tuis auribus accepta, Beatissime Pater, præfulgenti nomini tuo inscripta, in vulgus nunc exeunt: vt si cuipiam ad salutem animæ conducere videntur, in manibus esse possint. Quantula ea cunque sint, maiora non habens, summa voluntate, supplex ad Sacros pedes abiectus, offero Sanctitati Tuæ: quò decus, & ornamentum illa suscipiant, ipse qui defero, gratiam & benedictionem: qua, vnà cum tua incolumitate, nihil magis exopto.

DE QVADRAGESIMAE IEIVNIO

DIE CINERVM.





DSVNT, Beatissime Pater, Diuinæ gratiæ reconciliationis saluberrimi dies, a piis fidelibus, ad vberiores percipiendos immensæ liberalitatis fructus, expectati quidem desiderio: Sed Sanctitati Tuæ vel optatissimi esse debent, quia curam sustines omnium animarum. Si quidem misericors Deus, qui vbique, & semper dona distribuit,
2.Par.7. quemadmodum certis in locis exoratus, vult esse placatior:
Isa.49. sic sacratiora statuit tempora, in quibus supplicantes affluentius hauriant salutem. Hi sunt quadragesimæ dies, quos ad Diuina beneficia impetranda, sordesq. eluendas animæ, opportuniores, Spiritu sancto dictante, ab initio Apostolica con-
2.Cor.6. secrauit Ecclesia: quocirca illa Apostoli est inuitatio, Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.

At quo nos modo exhibere ipsi debeamus, & Dei misericordiæ occurrere parati, idem Apostolus, inter alia plurimum Deo placentia, ieiunium nobis indicit: quod Sacrosancta Ecclesia his quadraginta diebus, Christum secuta, solemni ritu seruat, & præcipit. Aptissimum quidem remedium & ad morbos iniustitiæ depellendos, & firmam cum Deo iungendam amicitiam. Et enim caro, à cuius appetitu prouenit quicquid à virtute, & ratione deficit, facilè spiritui erit subiecta; si abstinentia debilitetur. Hostis etiam humani generis eò exiliores, quibus nos in malum incitet, vires habebit; si minus in nobis

inue-

inuenerit, quo impugnet? Nimirum corporis expers, vt nos tentet in corpore viuentes, semper de nostro accipit arma: qua ratione tunc, Beati Pauli sententia, spirituali cum inimico pugnamus, cum carnem vexando domamus: & id est, contra Diabolum confligere, carnis desideria confringere. At versutus, & vafer, qui non vnam habet nocendi artem, videns contra se nunc fortius bellum indictum; ducem ac magistram Ecclesiam, Ioelis admonitu, canere prædicationis tuba in Sion, sanctificare ieiunium, congregare populum, senes, & paruulos vnumquemque armatum hortari ad prælium: conatus omnes acrius intendit, & quos vna via superare nequit, altera aggreditur: vt vel mentis superbia feriat, quos carnis illecebris se vulnerare posse diffidit. Quippè id aduersario reliquum, & maximum perfugium est, in virtutum nostrarum affluentia insidias moliri occultè, vt victor animus de triumpho turgescat. Quod prouidens cauta Mater Ecclesia, vidistis Patres Amplissimi, quale remedium contra superbiam adhibuerit. Sparguntur in capite cineres, & Sacerdotis ore vnusquisque è terra compositus in terram vertendus esse admonetur: illo quasi è Diuinis scriptis inculcato, Quid superbit terra, & cinis? Et sanè quàm appositum id etiam, ad retrahendum quemlibet à carnis blanditiis, ne dum ad humilem reddendum. Quis enim amore ab ea capietur, cui intelligit, corruptionem semper instare, breuique eam putrescere, & in sordes conuerti? Profectò cum tanti fuerit Ionæ admonitio, Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur: vt idolatræ crediderint in Deum, ac pœnitentes prædicarint ieiunium: quantum apud nos valere debet Ecclesiæ præceptum, Memēto homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris? Certè si auctoritas quæritur prædicantis; maior Iona est Ecclesia. Si audientium conditionem attendimus; à Deo alieni nobis longè magis Niniuitæ. Si minæ pensentur; re vera terribile est, quadraginta diebus præfinitum expectare interitum: sed multò terribilius, ne vlla quidem hora ab occa-

[Margin notes: 1.Cor.9. — Ioel. 2. — Eccli.10 — Ion. 3. — Gen. 3.]

su esse

ſu eſſe ſecurum. Et tamen Ionæ voce ad Deum conuerſi ſunt Niniuitæ. Nos lachrymis obiurgante, vt pia Matre, Eccleſia, obſurdeſcemus, nec commouebimur? Abſit. Quin imo vt illi Deum expiando, quadraginta dierum præſcriptum interuallum ieiunio dederunt: ita nos, quibus nulla eſt dies præſtituta, totius vitæ emendationem hoc quadraginta dierum ieiunio inſtituamus. quod ſemper conducere ſanctitati exiſtimatum, præcipuè hoc tempore eſt ſalutare: quia in honorem appropinquantis ſplendidiſsimæ diei adhibetur, quæ Domini noſtri, ad expiandas omnium culpas, ſed in primis vni-

Gen. 3. uerſalem illam primorum parentum gulá contractam, in cruce morientis, fert memoriam. Et quadragenario numero

Matt. 4. conſecratur, in eiuſdem recordationem totidem diebus ieiunantis: quem Moyſes quoqne, & Elias ætate antecedentes,

Exo. 24. exemplo poſteri ſunt imitati. Nam Moyſes, poſtquam popu-

3. Re. 19 lum ſacrificii ſanguine reſperſit, & Elias cum ſubcineritium panem comediſſet, quadraginta diebus vterque ieiunauit: quorum alter Domini mortem ſanguinis aſperſione, ſepulturam alter ſub cinere pane præſignificauit. Tantumque hoc munere profecerunt, vt Dei colloquio, congreſſuque digna-

Matt. 6. rentur: qui & factus homo, in monte glorioſus refulgens inter eoſdem medius voluit apparere: vt oſtenderet, ſe ieiunantium congreſſione lætari; ſobrios, & abſtinentes ad Deum contemplandum præcipuè efferri. Illud eſt quod propoſui, ieiunium, præter vitiorum expulſionem, coniunctiſſimam cum Deo efficere familiaritatem. Reliquum eſt, vt qui laborem

Pſal. 93. fingentes in præcepto, tanqnam graue illud declinant, vel cum triſtitia ſubeunt, nunc redarguantur. Et ſtatim occurrit

Matt. 6. Domini doctrina, Cũ ieiunatis, nolite fieri ſicut hypochritæ triſtes. Cum enim non ex Dei amore, ſed propter inanis gloriæ cupiditatem corpus conficitur, mœſtitia ſentiatur oportet, cui læti animi alacritas nulla reſiſtit. Cum verò mens ſpe æternæ mercedis exultat, gaudium non ſolum in cor, ſed in

Pſ. 132. externa quoque membra deriuat: quaſi vnguentum ſparſum in capite, quod in barbam, & vſque ad veſtimenta deſcendit:

vt di-

vt dicere posſit, Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deũ viuum. Id eſt, quod Dominus ieiunanti ſuaſit, Vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans, ſed Patri tuo, qui videt in abſcondito, & reddet tibi. Oleo lætitiæ, Dauid nõ ignoto, ob paternã à Deo recipiendam remunerationem, vngi intelligitur caput, mens ſcilicet principatũ tenens. Et quia cum macie cohæret hilaritas, expellendus eſt etiam mœror, & ſqualor è vultu, quem lauare monemur. Itaque non eſt aſperum ieiunium; ſi eſt cauſa lætitiæ: nec, vt impij ſibi nefariam peſtem machinantur, naturæ poteſt eſſe infenſum, quod naturæ pręcipit auctor: qui & ad iuſſa exequenda robur adiungit, & obſtantia tollit impedimenta. Et enim benedictionem dabit legislator, & virtutem, vt ſeruetur lex. Nam & Iſraelitis pręcipiens, vt ter quoque anno mares omnes in vno apparerent templo: quò minus inter ea vrbes inſidiantium paterent incurſibus, Diuinitus prouidebat. Et ſeptimi anni quietem decernens, frugumque erogationem pauperibus: ne cibos abſumentibus, annona in futuro deeſſet, triplum ſexto anno fructum terræ donabat. Si hæc auxilia, vt antiquam ſeruarent legem, tribuebat: quanto maiora adiungere cenſendus eſt, vt illa non prætermittantur, quæ & proprio ſanciuit exemplo, & ſanguine dedicauit? Verùm quis ieiunij præmium attendens, tam ſalutari diſciplina vacabit? Quem Chriſti Domini dulciſsima illa verba non inflamment, Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi? O præclariſſimam ieiunij gloriam, quod filios Dei efficit mortales. Quanta his erit remuneratio, quos pater remunerabitur? Amplectamur igitur omnes ſalutare pręceptum: aliaque pia opera adiungentes, quæ ieiunium ſibi connectit, orationem præſertim, & eleemoſynam, Dei gratiã hoc acceptabili tempore ineamus, initam conſeruemus. Breui enim eſurientes, æternis implebimur bonis: famemque & ſitim iuſtitiæ, Dei ſatietas conſequetur. D I X I.

Pſal. 83. Matt. 6. Pſal. 44. Pſal. 83 Exo. 34. Leui. 25 Matt. 6. Tob. 12. Luc. 1. Matt. 5.